

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 270/70 CG

N

Factorum iuridicorum declarandorum

(X, Y, Z – Exc.mi Ordinarii)

Praeliminaris: Refectionis libellorum

Die prima decembris 1970

In Congressu habito coram Em.mo Cardinale Praefecto, proposito dubio: Utrum recursus adversus decretum a S. R. Rota in causa latum die 22 ianuarii 1970, admittendus sit necne ad disceptationem?

Decretum est:

Negative, seu recursum in casu non esse admittendum ad disceptationem.

Dinus STAFFA, *Praefectus*

Ioannes M. PINNA, *Secretarius*

Ioannes PIANTONI, *Cancellariae*

IURISPRUDENTIA: PROT.N. 270/70 CG

Votum alterum

circa causas N et aliarum

a P. Gordon S.I.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

I n d e x

Numeri marg. Introductio...	1 - 8
§1. Facti species ...	9- 24
§2. De recursu contra decretum c. Ferraro ac de “Commissione Apostolica ...	25-31
§3. An admittendus sit recursus contra Decanum S. R. Rotae: ...	32-33
 Sectio I. Doctrina ac solutio exposita in <i>Voto B</i> examini subiciuntur: ...	34-37
DE INTRODUCTIONE. Synthesis ...	38
Animadversiones ...	39-43
 DE PARTE I. Doctrina iuris Civitatum:	44
1° Conceptus actus administrativi:	
Synthesis ...	45- 47
Animadversiones ...	48- 53
2° Impugnabilitas actus administrativi:	
Synthesis et animadversiones ...	54-57
3° De criteriis ad dispartendam competentiam:	
Synthesis ...	58-61
Animadversio 1°: Criteria exposita sunt typica Systematis italici.	62-76
necnon eiusdem exclusiva ...	77- 86
Animadversio 2°: Criteria non videntur in se bona ...	87- 88
 Conclusio Partis I: Doctrina exposita inducenda est in Ius canonicum:	89-90
A. Argumenta “Voti B” et responsiones ad illa ...	91 -119
B. Tota conclusio rationibus positivis impugnatur ...	120- 131
DE PARTE II. Sub luce Partis I recursus admittendus est ...	132-135
 Animadversio ...	136-137

Sectio II. Nostrum Votum: recursus reiciendus est	138-142
Appendix. Documenta et Bibliographia citata	143-144

INTRODUCTIO

1 1. In quodam Congressu S.T. Signaturae Apostolicae, celebrato inerente mense octobris anni 1969, actum est de admissione vel minus recusis exhibiti a D.ni X, Y et M contra decretum quo Exc.mus Decanus S. R. Rotae, die 21 octobris anni praecedentis, eorumdem libellum in causa *Parisien. iurium* (Prot. 715/68, CG) reicerat.

2 Inter quaestionem discutiendam, auctor praesentis studii opinatus est recursum esse reiciendum, propterea quod non tenet accusata nullitas decreti. At R.P. Z. Varalta, postquam expresserat suam conformitatem cum nostra opinione (quam de facto in suo voto evolverat, addidit illam solutionem esse validam solum in foro ecclesiastico et ratione habita status imperfecti in quo lex et doctrina canonica de contentioso administrativo adhuc invenitur; suspicabatur enim rem contrario modo probabiliter solvendam si attenderentur lex et doctrina Civitatum.

3 Tunc Em.mus Cardinalis Praefectus pronuntiavit: “Dilata”, et commisit praedicto P. Varalta ut doctrinam, quam oretenus summarie attigerat, in novo Voto evolveret.

4 2. Ac de facto P. Varalta die 11 decembris 1969 novum Votum, iuxta petita exaratum, Cancellariae Huius Supremi Tribunalis tradidit, cuius exemplar paucis diebus post diligenter nobis transmissus est.

5 Verumtamen gravitas ac novitas argumenti, moles studii, quam haec nova totius rei propositio exigebat, necnon onera diversi generis quae per annum academicum 1969-1970 semper nos occupatos haberunt, aliquam rationem reddunt cur huius studii elaborationem usque ad presentem diem (20 octobris 1970) perficere non potuerimus.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

6 3. Interea ex una parte Advocatus Lazzarato novas instantias *coram* H.S. T. proposuerat, et, ex alia, S.R.Rota decretum tulerat in causa *Ambianen. et aliarum*, quae est recursui nostro finitima. Quod utrumque novas implicationes quaestioni nostrae fundamentali cumulavit.

7 4. Itaque, ut ex ordine procedamus, primo breviter in memoriam revocabimus et, quatenus opus fuerit, complebimus facti speciem (§1). Deinde responsum dabimus instantiis a Patrono diebus 11 ianuarii, 9 martii et 8 aprilis 1970 exhibitis (§2). Tunc iterum studio subiciemus utrum recursus contra decretum Decani S.R.Rotae sit admittendus necne. Huius autem studii maiorem partem obtinebit consideratio alterius Voti a R.P. Varalta exarati (§3). In fine, per modum appendicis, indicabimus seriem documentorum, quae ad praesentem causam pertinent, necnon praecipuam bibliographiam ad hoc studium perficiendum adhibitam (Appendix).

8 In textu autem Documenta allegabuntur per numerum ordinis, opera autem iuridica per nomen auctoris.

§ 1. Facti species.

6 [9] In facti specie distinguimus duplicem partem, quarum prima continet facta quae evenerunt usque ad Congressum ineunte octobre habitum; altera autem facta subsequencia usque ad praesentem diem.

7 [10] Prima pars est fere compendium facti speciei, quam in nostro praecedenti Voto texuimus, paucis additis ex novis fontibus, qui nunc nobis praesto fuerunt. Altera pars tota quanta nova est.

I. Ante congressum, seu oct. 1968 - oct. 1969

1. *Facta Consilii Peramentis Episcopatus Gallici et. Rev.morum D.ni. Z et W, quae deinde obiectum accusationis evaserunt*

8 [11] Die lunae 27 iunii 1966, Rev.mus D.num Z, Director Secretariatus pro publica opinione necnon pro mediis communicationis ab Episcopatu Galliae instituti, quamdam “Conference de presse” habuit, ubi publici iuris fecit “Communicationem” Consilii Permanentis Episcopatus V, in qua hoc Consilium, pro suo munere, monet fideles ut sibi caveant ad articulis editis praesertim in ephemeridibus “A”, “B” e “V” et “D”, in quibus continerentur

asserta contra Concilium Vaticanum II, etc., denuntiata paulo antea in eadem Communicatione.

9 [12] In praesentatione “Communicationis” Rev.mus D.nus Z affirmavit Episcopos: 1° Inutiliter contendisse dialogum cum praefatis auctoribus habere, 2° ideoque decrevisse supra indicatam “Communicationem” publici iuris facere, cuius textum tamen antecederet cum Directoribus praefatarum ephemeridum communicatus fuerat.

10 [13] Horum sequela fuit quod plures “quotidiani” V et nonnullae ephemerides dioeclesanae, reproducentes “Communicationem” cum praesentatione Rev.mi D.ni Z, divulgaverunt quod tres illae “Riviste” erant contrariae Papae, Concilio et Episcopis.

11 [14] Post meridiem eiusdem diei 27 iunii, P (alias Y), Director eph[e]meridum A, communicavit per publicam agentiam E: 1° se nunquam invitatum fuisse ab Ordinario loci ut dialogum cum ipso haberet, 2° Secretarium generalem Episcopatus, Mons. F, misisse sero epistolam, ideoque propter eiusdem culpam non potuisse cognoscere “Communicationem” ante eius publicationem. Serius manifestavit quod Mons. Z non invitaverat ipsum ad “Conference de Presse” diei 27 iunii.

2. Actio iudicialis coram Tribunalibus dioeclesanis

12 [15] A novembre 1966 usque ad ianuarium 1967, D.ni. X et Y, Directores respective ephemeridum “B”, “D” et “A”, assumentes ut Patronum Sac. G, libellos exhibuerunt coram octo V Tribunalibus ecclesiasticis, proprium ius prosequentes contra illos Episcopos quorum tribunalia adierant, propterea quod in parte officiali suarum ephemeridum dioeclesanarum “Communicationem” Consilii Permanentis Episcopatus ediderant.

13 [16] Verumtamen omnia Tribunalia libellos reiecerunt propter diversas rationes; sed praesertim propter hoc unanime motivum, quia agebant de factis administrativis, quae exulant a competentia iudiciali.

3. Recursus ad S.R.Rotam. Propositio novae causae coram eodem Tribunali Apostolico. Petitio cumulandi illos recursus cum hac causa

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

14 [17] Diebus 12 decembris 1966, 20 ianuarii ac 16 februarii 1967, praefati tres Directores ephemeridum recursus seu appellationes fecerunt ad S.R.Rotam contra decreta supradicta, opposcentes eorumdem etiam nullitatem propeter violatum can. 1587 et ob defectum rationum.

15 [18] Attamen, priusquam Turnus rotalis designatus fuisset, iidem tres Directores, unum facientes ac novum Patronum eligentes, sc., Rev. Sac. D. Lazzarato, Advocatum Rotalem, libellum exhibuerunt eidem Apostolico Tribunali, in quo: 1° novam causam in prima instantia proponebant, petentes contra Consilium Permanens Episcopatus V, quatenus repraesentatum in eius organis, Rev.mis DD. E et P, rectificationem dictorum ac condemnationem propter damna illata; 2° coniunctionem seu cumulationem illorum recursuum - quos iterum impellebant - cum hac nova causa (cf. Doc. 2, pp. 27-32. Loci praecipui in pp. 29 et 31).

4. *Decreta duo Exc.mi D. Decani S. R. Rotae*

16 [19] Decanus S. R. Rotae, nulla ratione habita petitaee cumulationis, die 2 augusti 1968 decretum tulit, quo Turnum constituit pro iudicio ferendo circa exhibitos recursus in causa: “N. *et aliarum*, *Factorum iuridicorum declarandorum* (X, Y et M - Exc.mi Ordinari) *Pareliminaris: reiectionis libellorum*”.

17 [20] Tunc, die 21 octobris, novum decretum edidit, quo, usus facultate sibi per Reg. 60 S.R.Rotae concessa, reiecebat a limine libellum novam causam proponentem, seu “Q., *Iurium* (X, M et Y - Consilium Permanens Episcoporum V”.

5. *Recursus ad Signaturam Apostolicam eiusque examen primum*

18 [21] Advocatus (qui interea instaverat pro reformanda inscriptione causae N. *et aliarum*, falso existimans factam iam fuisse cumulationem cum Q. ab ipso petitam, accepta communicatione decreti lati die 21 octobris, recursum instituit contra illud ad Signaturam Apostolicam, propterea quod Decanus S.R.Rotae: 1° pronuntiaverat extra thema decidendum, 2° absque competentia, et 3° adducens canones, qui ad rem non faciunt.

19 [22] Ut supra dictum est (n.1), ineunte mense octobris 1969, cum actum fuisse in Congressu Signaturae Apostolicae de praefato recursu admittendo necne, Em.mus Cardinalis Praefectus pronuntiavit decisionem esse differendam.

II. *Post Congressum: oct. 1969 - oct. 1970*

1. *Fertur decretum in causa "N. et aliarum" apud S. R. Rotam*

20 [23] Die 22 ianuarii 1970 Turnus rotalis Ferraro-Czapla-Faggiolo decrevit recursus adversus decreta Tribunalium dioecesanorum in causa *N. et aliarum* non esse admittendos, quia rationes a recurrentibus allatae nihil efficiebant.

21 [24] Prima ratio erat quod libelli reiecti fuerant contra praescriptum can. 1587, seu inaudito Promotore Iustitiae; sed frustra, quia, in hoc canone non agitur de stadio libelli, sed de stadio posteriore, sc., de stadio citationis. *Altera* ratio opponebat non fuisse allata in decretis motiva reiectionis, similiter contra praescriptum can. 1709, § 1. Sed respondet Turnus plura motiva allata fuisse a Tribunalibus in suis decretis ad ostendam propriam incompetentiam, praesertim vero illud desumptum ex natura administrativa factorum, circa quae ponebatur quaestio; quod motivum novis argumentis in iure et in facto roberavit decretum ipsum rotale.

2. *Novae instantiae Advocati apud Signaturam Apostolicam*

22 [25] Paucis diebus ante, sc., 11 ianuarii 1970, Advocatus iterum adiverat Signaturam Apostolicam, instans ut agnosceret recursum iam delatum contra decretum Decani S.R.Rotae (supra, n. 18), et introducens vel quaerens de opportunitate introducendi novum dubium propter silentium-recusationem Consilii Permanentis Episcopatus V.

23 [26] Idem Advocatus, cum post circiter 15 dies decretum rotale c. Ferraro (cf. supra, nn. 20 – 21) recepisset, querelam nullitatis contra ipsum coram Hoc Supremo Tribunali die 9 martii exhibuit, ubi obiter habetur indicatio diei. Instantia refecta fuit die 8 aprilis et iterum die 17 eiusdem mensis, simul vel saltem die 8 aprilis petens haec duo ut idem S. H. T.,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

antequam de quaestionibus proceduralibus cognoscat, obtineat “Commissionem Pontificiam”: 1° ut coniungantur et simul apud Rotam cognoscantur causae *Q. et N. et aliarum*, 2° et quidem cum licentia videndi “de falsis vel sin minus de minus recte adserit in dicto eius sc., Consilii Permanentis Episcoporum V: “Communiqué” in casu”; in qua ultima petitione videtur comprehensum quidquid intendebatur per instantiam diei 11 ianuarii (cf. supra, n. 22).

24 [27] Decreto diei 9 iunii Exc.mus D. Secretarius Patrono respondit: disceptandum esse per prius de admissione querelae nullitatis contra decretum c. Ferraro, quam de eius merito; et tam de hoc argumento quam de petitionibus quaestio erit in Congressu altero pro Q. indicendo.

§ 2. *De recursu contra decretum c. Ferraro ac de “Commissione”*

25 [28] Quaestio est nunc sive de querela nullitatis exhibita a Patrono contra decretum rotale latum a Turno Ferraro-Czapla-Faggiolo, sive de Commissione Pontificia ab eodem efflagitata relate ad causas *Q. et N. et aliarum*.

1. *De querela contra decretum c. Ferraro*

26 [29] Contra decretum c. Ferraro non est possibilis recursus per modum appellationis ad Signaturam Apostolicam, non solum quia eiusmodi appellatio cognoscenda esset a sequenti Turno apud ipsam Rotam (cf. *Normas speciales*, art. 19, § 5), verum etiam quia ipsu[m] decretum in casu est inappellabile, propterea quod can. 1880, 7°, edicit non esse locum appellationi a sententia - sed etiam a decreto - in causa pro qua ius cavet expeditissime rem esse definendam. Atqui hoc iubetur in can. 1709, § 3, relate ad decisionem latam in causa reiectionis libelli.

27 [30] At fatendum est Patronum exhibuisse recursum, non per modum appellationis, sed per modum querelae nullitatis; unde quaeri potest an sit locus querelae in casu. Existimamus negative esse respondendum propter has rationes: 1° Ex analogia iuris, et insuper ne frustretur voluntas Legislatoris, volentis ut quaestio incidentalis circa libellum celeberrime absolvatur.

29 [31] 2° Quia dato et non concesso quod per se esset locus querelae contra decretum reiciens libellum, certo certius non esset ei locus in praesente casu propter praescriptum articuli 19, § 1, *Normarum specialium*: “Querela nullitatis contra sententiam rotalem proponi potest in casibus enumeratis in cann. 1892 et 1894, dummodo vitia ibidem recensita manifeste appareant. In dubio, recursus fundamenti destitutus habendus est. A limine recursus reicitur, quoties defectus legitimi mandati sanatus est ad normam paragraphi sequentis. Iam vero, in praefato decreto rotali nullum ex septem vitiis, quae citati canones recensent, manifeste apparet. Ergo recursus ne quidem proponi debuisset.

2. De “Commissione” desiderata.

30 [32] Ex supra dictis (n. 23), duo sunt “Commissionis” desideratae obiecta. *Primum* est quod coniungantur causae *Q. et N. et aliarum*. Sed quoniam huic alteri causae iam non est locus propterea quod definitive reiecta est, sequitur quod neque desiderata coniunctio est iam possibilis.

31 [33] *Alterum obiectum* rogatae “Commissionis” est licentia ad videndum “de falsis ...” (cf. supra, n. 23), saltem in causa Q. Verumtamen cum, ex dicendis in paragrapho sequente, censeamus recursum contra decretum Decani S.R.Rotae, reiciens libellum causae Q, admitti non posse, sequitur quod neque ex parte alterius obiecti desiderata “Commissio Apostolica” peti potest.

§ 3. *An admittendus sit recursus contra decretum quo Exc.mus D. Decanus S. R. Rotae libellum causae Q reiecit*

32 [34] Sicut supra dictum est (n. 2), sunt duae opiniones relate ad propositum nobis casum: Alia recursum reicit, propter naturam administrativam obiecti circa quod versatur causa Q. Alia opinio autem recursum admittit sub luce iuris contentiosi-administrativi Civitatum; atque ita censet cl.mus P. Varalta qui hanc sententiam promittit oretenus (cf. supra, n. 2), dein in suo altero Voto exposuit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

33 [35] Ut ex ordine et cum claritate procedamus, primo examinabimus Votum B (Sectio I), dein dicemus quid supra praesentem quaestionem nobis tandem videatur (Sectio II).

Sectio I. Doctrina et solutio propositae In Voto B examini subiciuntur.

34 [36] Votum B exorditur perhibens sui ipsius rationem: intentio enim eius est indicare quomodo “sub luce doctrinae et iurisprudentiae iuris civilis” (= iuris administrativi Civitatum) danda esset casui proposito solutio diversa (ac praeferenda, quamvis hoc propter modestiam non dicatur) ab ea quae daretur attentis iure et praxi canonico-administrativis vigentibus.

35 [37] Consequenter, in *Prima Parte* ante omnia proponit doctrinam fundamentalem Iuris Civitatum, quod ad rem pertinet, sc.: 1) De conceptu actus administrativi, 2) De eius impugnabilitate, 3) Tandem de criteriis ad dispartendam competentiam inter Iudicem (seu Tribunal) ordinarium et Iudicem (seu Tribunal) administrativum. Dein, per modum veluti conclusionis huius Partis, contendit demonstrare illa: criteria omnino incorporanda esse Iuri Canonico.

36 [38] In *Altera Parte*, sub luce doctrinae propositae, datur solutio affirmativa ad quaestionem de admittendo necne recursum contra decretum Decani S. R. Rotae.

37 [39] In sequentibus afferemus compendiose omnes partes et elementa *Voti B*, apponendo singulis - pro nostra tenuitate - aliquas animadversiones.

DE INTRODUCTIONE (Doc. 15. p. 2).

38 [40] En ipsa verba *Voti B*: “Osai allora affermare che a mio modesto parere se il caso fosse stato esaminato alla luce della detta dottrina e giurisprudenza civile (comune in Europa a tutti i paesi facenti capo al cosiddetto sistema francese), si sarebbe arrivati senz’altro a una conclusione diametralmente opposta a quella che stavamo per prendere” sub luce doctrinae administrativae canonicae, de qua paulo antea dictum fuerat “è ancor troppo rudimentale, generica, frammentaria e imprecisa particolarmente per quanto interessava il caso”.

Animadversiones.

39 [41] 1° Libenter admittimus alterum assertum introductionis, sc., doctrinam canonico-administrativam esse adhuc satis incompletam deberique in perfectionem adduci.

40 [42] 2° Quoad primum assertum attinet, sermo erit de illo in sequentibus, sc., quando examinabimus utramque Partem *Voti B* (nn. 44 et ss.). Liceat tamen nobis has duas observationes a limine facere:

41 [43] a. Auctor *Voti B* videtur promittere se expositurum nobis doctrinam et iurisprudentiam administrativam, quae sunt communes omnibus Nationibus apud quas viget systema contentioso – administrativum V. Et tamen, prout ex expositione patebit, *Votum B* considerat exclusive italicam doctrinam (omissa iurisprudentia).

42 [44] In laudem *Voto B* vertitur quod hanc doctrinam sibi mutat ex duobus optimis Professoribus Iuris administrativi italici, sc. ex G. Zanobini et ex M. S. Giannini, licet semel tamen eos nominet (respective in pp. 4 et 5) et semper citationes omittat.

43 [45] b. Quamvis systema iuris administrativi hodie in Italia vigens reducatur ad systema sic dictum *gallicum* seu “duplicis iurisdictionis”, prout *Votum B* satis indicat et nos ipsi alibi exposuimus (*Periodica*, 1968, p. 620, n. 27 et nota 26), tamen valde notandum est quod eius structura fundamentalis est lex diei 20 martii 1865, alleg. E, per quam ipsum systema gallicum - quod, iuxta suam primaevam structuram Administratoris-Iudicis (cf. ib., pp. 613-614), vigeat in aliquibus Statibus tempore unificationis Italiae - abolitum fuit (cf. infra, nn. 65-69, ubi tota haec quaestio data opera exponitur). Inde quod, procedentes ulterius in nostro studio, nonnulla in hodierno systemate italico inveniemus, quae a genuino systemate gallico discrepant.

DE PARTE PRIMA (Doc. 15. pp. 3-10)

44 [46] In hac parte, ut supra indicavimus (n. 35), *Votum B* proponit doctrinam Iuris Administrativi italici quoad tria puncta, quae retinet maximi momenti ad illuminandam solutionem casui proposito dandam.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

1° *De definitione et distinctione actus administrativi* (Doc.15, pp. 3-5)

45 [47] *Votum B* statim distinguit duplicem acceptionem seu categoriam actus amministrativi, sc., in sensu lato et in sensu stricto.

46 [48] Tunc, veniens ad actus administrativos sensu lato, eos definit cum Zanobini ac illustrat pluribus adhibitis exemplis: “gli avvisi, gli annunci, i bandi pubblici, i comunicati della pubblica amministrazione, i certificati (di nascita, ecc.), i pareri, gli inviti” etc. Denique de his actibus dicitur: “Sono atti amministrativi non concreti, cioè non completi: sono per lo più preparatori dell’atto amministrativo in senso stretto (del provvedimento); possono sfociare nel provvedimento, ma non sono provvedimenti” (p. 4).

47 [49] Quod attinet ad actus administrativos in sensu stricto, *Votum B* asserit eos esse sic dictas “provisiones” (provvedimenti), de quorum conceptu sunt haec tria: quod procedant a publica administratione, producant effectus iuridicos et sint in se ipsis completi. Tanquam exempla huius categoriae afferuntur ex iure Civitatum: “l’autorizzazione all’esercizio di un’attività, la concessione di una licenza ..., la decisione di una controversia amministrativa”, etc.; ex Iure autem canonico: decretum Ordinarii loci, decisio competentis Dicasterii (*Regimini*, n. 106), etc. (p. 5, n. 2).

Animadversiones

48 [50] 1° Doctrinae expositae fontes sunt Zanobini (vol. I, p. 243) et Giannini (pp. 14-20), ex quo exempla desumpta sunt.

49 [51] 2° *Votum B* praebet, tanquam definitionem actus administrativi in sensu lato, illam, quam Zanobini cum magna cura elaboravit pro definiendo actu amministrativo in sensu stricto (prout patebit legenti paginas praecedentes, sc., 241-242).

50 [52] Hinc fluit consequentia magni momenti: nam pro Zanobini (secus ac pro Giannini) sunt actus administrativi in sensu stricto, non solum sic dictae declarationes voluntatis, sicut decreta, verum etiam declarationes cognitionis aut iudicii, sicut sunt, v.g., informationes seu vota (pareri) et certificationes (certificati); etenim etiam hae declarationes cognitionis et iudicii (contra quam quod primo fronte videri posset) sunt actus, non quidem

voluntatis, sed certo voluntarii (p. 246, n. 4), ac praeterea producunt effectus iuridicos seu habent iuridicam finalitatem: “Nel parere, questo fine è quello d’illuminare l’autorità intorno ad un provvedimento che questa deve prendere; nel certificato, il fine di costituire una prova pubblica di un fatto, di una capacità, di una condizione, etc.” (p. 295, n. 5, in fine).

51 [53] 3° Sub luce huius definitionis actus administrativi in sensu stricto, quam tenet Zanobini, quaeque est “la definizione più comune”, sequitur quod “Communicatio” seu monitio Consilii Permanentis Episcopatus N (quae quidem est aliquid omnino diversum ab “l’avviso che sarà riunito il Consiglio comunale in quel determinato giorno” de quo Giannini, p.15) haberi debet ut genuinus actus administrativus in sensu stricto, quia est declaratio iudicii et voluntatis (non solum voluntaria!), cum hac finalitate et effectum iuridico, sc., impediendi quominus Directores ephemeridum trium illarum, ulterius per illam viam progredientes, delictum committant, ob quod puniri mereantur.

52 [54] Natura canonico-iuridica huius Communicationis elucet etiam ex eo quod eius lineamenta coincidunt cum figura “monitionis”, prout describitur in can. 2307: “Eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Ordinarius per se vel per interpositam personam moneat”.

53 [55] Itaque iam nunc dissentimus ab asserto quod deinde faciet *Votum B* (p. II, III, I).

2° De impugnabilitate actus administrativi

54 [56] Iuxta *Votum B*, solummodo sic dictae “provisiones” (provvedimenti) seu actus administrativi in sensu stricto sunt illi actus privilegiati “nei confronti dei quali la tutela degli interessi (o diritti soggettivi affievoliti, pro hoc conceptu cf. infra, n.73) è esperibile esclusivamente per via amministrativa, con netta esclusione della giurisdizione ordinaria” (p. 5, infra).

55 [57] Paulo post, relate ad actus administrativos in sensu lato, adiungitur: “in via ordinaria, qualora consegua da essi la lesione di un diritto soggettivo, si tratterà di regola di un illecito civile o penale da perseguirsi

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

entro la sfera della giustizia ordinaria e non per via amministrativa. Si pensi al danno che può seguire da dichiarazioni o notificazioni inesatte dell'autorità amministrativa, come si verifica nel caso in esame" (p. 6).

Animadversiones

56 [58] 1° Relate ad conceptum iuris subiectivi degradati seu debilitati (diritto affievolito), qui non exigua difficultate intrinseca laborat, sermo recurrent deinde (nn. 76, 88).

57 [59] 2° Quoad alterum assertum, sc., laesiones iuris subiectivi productas ab actu administrativo sensu lato necessarios cognoscendas esse a Tribunali iudiciali, dicere debemus quod iuxta legislationem italicam de facto ita est, sed non propter necessitatem absolutam seu ex natura rei. Ideo, v.g., in Gallia, casus contemplatus, seu quando responsabilitas "funzionarii" refunditur in Administrationem, laesio semper cognoscitur a Tribunali administrativo, nulla ratione habita de natura actus administrativi qui eam produxit (cf. Laubarderie, vol. I, n. 1214; ad rem quoque sic dictum "recour de pleine Juridiction" seu etiam "de plein contentieux", n. 790, 1°, all. 2).

3° De criteriis ad dispartientiam competentiam inter Tribunalia iudicialia et Tribunalia administrativa

58 [60] *Votum B*, at dividendam competentiam Tribunalium in tuendis civium Iuribus subiectivis et interessibus ab Administratione laesis, docet duo esse criteria: *Primum* est fundamentale, et consistit in distinctione "iura-interessia", quae sic intelligitur ut, in casu laesionis ex parte Administrationis, iura subiectiva a Iudice ordinario (seu iudiciali), interessia autem a Iudice administrativo exclusive cognoscuntur.

59 [61] *Alterum* criterium est potius complementarium. Ipsum coalescit ex duplici inseparabili elemento, sc., ex petito et ex causa petendi, quae alterutro ex his duobus modis copulari debet ut criterium teneat: nam si ob causam iuris subiectivi laesi petitur sive declaratio laesionis sive damnorum reparatio ab Administratione, controversia pertinet ad Tribunal iudiciale; si tamen ob causam laesi "interessis" petitur annullatio actus administrativi qui laesionem causavit, controversia ad Tribunal administrativum spectat (p.10; cf. etiam pp. 3, I et 6, II).

60 [62] Dein *Votum B* duas facit declarationes. Prima refertur ad valorem et vigentiam huius criterii complementarii: “Questo criterio del *petitum* e della *causa petendi* è frutto di una elaborata giurisprudenza e, anche se da qualche autore è ritenuto sorpassato, esso è tuttora ben sostenuto sia dalla cattedra che dal foro” (p. 10).

61 [63] Declaratio altera respicit eiusdem criterii complementarii aptitudinem ut in Ius Canonicum assumatur: “a me sembra il più semplice e il più adattabile al nostro sistema”.

Animadversiones

62 [64] Criteria pro dividenda competentia, quae propuntur in *Voto B*, fideliter referunt expositionem quam de illis faciunt tum Giannini, tum Zanobini (cf. respective p. 97, n. 1, et vol. II, pp. 119-120, ubi explicite loquuntur de criterio altero seu complementario, cui subiaceret criterium fundamentale seu distinctio “iura-interessia”).

63 [65] Tamen totum hoc argumentum postulat examen diligens et studium comparativum accuratum, quorum exitus erunt duae conclusiones, quas per modum animadversionum iam anticipamus. Sermonem tamen in illis contrahimus, brevitatis causa, ad criterium *fundamentale*, ex quo altero facilius procedit. En animadversionum tenor: 1° Criterium fundamentale seu distinctio “iura-interessia” est typicum et exclusivum systematis italici. 2° nec videtur in se bonum. Nunc veniamus ad utriusque probationem.

1° *Animadversio. Criterium fundamentale seu “distinctio” est quid typicum et exclusivum systematis italici*

a. *Est typicum systematis italici*

64 [66] Ut autem hoc pateat, oportet historiam contentiosi – administrativi vigentis in Italia paucis comprehendere.

65 [67] aa) Post unitam Italiam et ante a. 1865 vigeat adhuc in aliquibus regionibus systema contentioso-administrativum gallicum, seu duplicis

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

iurisdictionis, ita ut controversias inter privatos et Administrationem spectantes rem patrimonialem a Tribunalibus iudicialibus cognoscentur, reliquae autem omnes, nulla distinctione facta inter iura subiectiva et interestia a Tribunalibus seu potius a Commissionibus administrativis (cf. Giannini, pp. 32-33).

66 [68] bb) Verumtamen lex diei 20 martii 1865, n. 2248, all. E (cf. A. M. Sandulli, vol. II, pp. 5393-5396) abolevit Tribunalia administrativa seu, quod idem est, suppre[s]sit systema gallicum et introduxit systema Belgarum seu iurisdictionis unius.

67 [69] Summa novi systematis clare habetur in primis tribus articulis praefatae legis, quorum primus decernit abolitionem, dum alii duo novam competentiae distributionem statuunt:

1. I Tribunali speciali attualmente investiti della giurisdizione del contenzioso amministrativo, tanto in materia civile quanto in materia penale, sono aboliti, e le controversie ad essi attribuite dalle diverse leggi in vigore saranno d'ora in poi devolute alla giurisdizione ordinaria, od alla autorità amministrativa, secondo le norme dichiarate dalla presente legge.

2. Sono devolute alla giurisdizione ordinaria tutte le cause per contravvenzione e tutte le materie nelle quali si faccia questione di un diritto civile o politico, comunque vi possa essere interessata la pubblica Amministrazione, e ancorchè siano emanati provvedimenti del potere esecutivo o dell'autorità amministrativa.

3. Gli affari non compresi nell'articolo precedente saranno attribuiti alle autorità amministrative, le quali, ammesse le deduzioni e le osservazioni in iscritto delle parti interessate, provvederanno con decreti motivati, previo parere dei Consigli amministrativi che pei diversi casi siano dalla legge stabiliti.

Contro tali decreti che saranno scritti in calce del parere egualmente motivato, è ammesso il ricorso in via gerarchica in conformità alle leggi amministrative.

68 [70] Igitur, attento art. 2, ad Tribunalia ordinaria seu iudicialia, i.e., ad unica subsistentia, devoluta sunt omnes controversiae circa ius subiectivum: nam, prout ostendit Giannini, “è pacifico che *‘diritti civili o politici’* significa

qualsiasi specie di diritto soggettivo” (p. 89). E converso, iuxta tenorem art. 3. “gli affari non compresi nell’articolo precedente”, sc., controversiae circa “interessia” (quas Tribunalia iudicialia seu ordinaria cognoscere non poterant) auctoritatibus administrativis attributae sunt.

69 [71] Vigore igitur huius legis existere coepit quod est hodie *criterium fondamentale* pro divisione competentiae in systemate contentioso - amministrativo italico, sc., laesiones ab actibus administrativis productae, si agitur de iure subiectivo spectant ad Iudicem, si autem de interesse, ad Administratores (cf. ZANOBINI, vol. II, pp. 120, all. 2; 120-122, n. 3). At valde notandum est hanc regulam bicornutam inventam fuisse, non ad ordinandam distributionem competentiae inter Tribunalia iudicialia et administrativa, sed consequenter ad Tribunalium administrativorum suppressionem; seu non ad subtrahendas controversias circa ius subiectivum laesum a Tribunalibus administrativis - quae iam non existebant! - sed ad non concedendas controversias circa interesse laesum Tribunalibus iudicialibus, unice existentibus.

70 [72] cc) Labente tempore lex anni 1865 duas modificationes magni momenti subiit, aliam in bonum privatorum, aliam autem in administrationis commodum.

71 [73] Doctores magni nominis, ut Crispi, Spaventa, Pisanelli et alii, conquerebantur quod civium interessia ab administratoribus laesa nullam protectionem practice haberent, siquidem ab eadem administratione tuitionem debebant accipere. Ideo creata sunt quaedam Tribunalia administrativa pro interessium tutela, sc., “Consiglio di Stato” (1882) et “Giunte Provinciali Amministrative” (1889). Sic reditum est ad systema duplicis iurisdictionis, sui generis, sc., ad systema duplicis iurisdictionis, quod, ignorans normas typicas sibi proprias ad partiendam competentiam, conservabat intactam structuram fundamentalem creatam per legem abolitivam genuini contentiosi-administrativi, iuxta quam iura ad Tribunalia iudicialia, interessia ad Tribunalia administrativa spectare debent (cf. GIANNINI, pp. 35-36, n. 4; ZANOBINI, vol. II, p. 120, all. 2).

72 [74] Inducta hac modificatione, habebatur quaedam inaequalis repartitio competentiae inter antiqua Tribunalia iudicialia et Tribunalia administrativa noviter instituta, siquidem - secus ac ante 1865 - ad iudicialia

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

spectabant omnes controversiae inter cives et administrationem, ubi laesio alicuius iuris subiectivi praetendebatur; quod erat adhuc magis delicatum si quaestio vertebat circa quamdam “provisionem”, quam Administratio vigore suae potestatis discretionalis statuerat.

73 [75] In his casibus, re absolute spectata, duplex solutio offerebatur. M. S. Giannini rem exemplo illustrat: Quaestio sit de cive, qui pollet licentia ad mercaturam faciendam, quam tamen Administratio ab eo revocat propter rationem quae a lege non admittitur. Quodnam Tribunal est competens in casu? - Attento iure subiectivo violato, diceres, iuxta legem a. 1865, art. 2 adeundem esse Tribunal iudiciale. Sed quoniam Administratio egit vigore suae potestatis discretionalis, cuius actus retineri solent efficaces etiamsi fuerint invalidi, sequeretur quod actus Administrationis in casu praevaleret iuri subiectivo illius civis, seu illud “degradat” ad conditionem meri interessis legitimi; et quoniam controversia versaretur iam circa interesse, pertineret ad Tribunal administrativum (Giannini, pp. 92-93).

74 [76] Ex his duabus solutionibus tandem assumpta est haec altera a Consilio Status et a maiore doctrinae parte; quo evenit ut, non obstante structura legis a. 1865 latae, per portam “degradationis” redierunt ad Tribunalia administrativa praecipuae controversiae de iure subiectivo ab administratione laeso.

Sic novus reditus substantialis factus est ad genuinum systema duplicis iurisdictionis, hac vice in administrationis commodum huius enim systematis est proprium ut quovis iudicium circa actus administrativi illegitimitatem ad Tribunale administrativum pertineat. Ad rem S. Satta: “Questa è del resto la ragione storica e pratica che giustifica la sottrazione della tutela giurisdizionale degli interessi qualificati come legittimi al giudice ordinario: tale tutela infatti non potrebbe avvenire senza una invasione del giudice nel potere esecutivo, realizzata attraverso l’annullamento dell’atto del potere medesimo” (Vol. I, P. 5).

75 [77] Ex supra expositis patet quantum differat systema duplicis iurisdictionis creatum in Gallia et assumptum ab aliis Nationibus, a forma eiusdem systematis in Italia vigente.

76 [78] Itaque non est mirandum quod Iuristae italiani magnae auctoritatis sive totaliter sive quoad aliquam eius partem reprehendant. Inter antiquiores commemorare iuvat Orlando, cuius doctrina instituto degradationis iuris

subjectivi practice contradicebat (apud Giannini, pp. 97-98). Inter hodiernos Giannini existimat criterium petiti et causae petendi fuisse iam a plerisque doctrinaliter superatum (p. 97); quin etiam, idem auctor, postquam ius administrativum anglicum laudibus cumulavit, attendens forsan singulari modo ad hos defectus systematis italici, hanc audacem sententiam scripsit: “il diritto amministrativo ‘continentale’ si è rivelato una complicazione ed un impaccio. Che sia arrivato il tempo di distruggerlo?” (Introductio ad versionem operis ab H.W.R. WADE, *Diritto amministrativo inglese*, Milano 1969, p. XIX).

b. *Criterium fundamentale est exclusivum systematis italici*
(cf. supra. nn 52 – 64)

77 [79] aa) *Assertum colligitur ex supra dictis*. Hoc assertum imprimis fluit tamquam obvia consequentia ex his quae supra dicta sunt sub littera a.

78 [80] In Nationibus enim ubi systema duplicis iurisdictionis directe et immediate instauratum est, aut saltem ubi non habet tanquam structuram fundamentalem legem aliquam quae Tribunalia administrativa suppreerat, facile intelligitur quod, in dividenda competentia inter Tribunalia ordinaria et administrativa, non assumatur ut criterium fundamentale distinctio “iura-interessia”. Hac de facto haec distinctio praetermitti solet a legislatoribus et a doctrina.

79 [81] bb) *Assertum demonstratur considerando criteria adhibita in aliis Nationibus. In Gallia*.

80 [82] Quilibet bene novit *Galliam* esse patriam systematis duplicis iurisdictionis, ad quod paulatim deventum est ex systemate “Administratio-Iudex” (cf. *Periodica*, 1968, pp. 613-616, nn. 14-19). Consequenter repartitio competentiae inter Tribunalia iudicialia et Tribunalia administrativa per gressus facta est, ita ut nulla lex habeatur in Gallia quae se sola et syntetice utramque competentiam definiat. Haec synthesis fuit opus peritorum in iure administrativo, inter quos elucet A. de Laubadère.

81 [83] Iuxta huius actoris expositionem, fundamentum totius partitionis est servitium publicum, sub quo nomine venit omnis activitas Administrationis, quae pertinet ad satisfaciendum cuilibet civium necessitati

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

(vol. I, n. 50). En summa expositionis, quae directe respicit Tribunalia administrativa et per succesivas restrictiones procedit; unde indirecte et per consequens Tribunalium ordinariorum competentia etiam delimitatur:

82 [84] Iustitia igitur administrativa coarctatur:

1° ad litigia quae versantur circa suas activitates (ergo non cognoscit litigia inter privatos aut inter privatum et potestatem legislativam, etc. nn. 668-671),

2° et, inter illas activitates, restringitur adhuc ad servitia publica (nn. 706-710), cum his tamen exceptionibus:

1° servitia publica in quibus character privatus praevallet (nn. 711 – 716).

2° controversiae quae vere exigant resolvi sub luce iuris civilis (nn. 717-720).

3° controversiae quae vi legis vel traditionis (respective in nn. 722-727 et 728-749) iudici ordinario reservantur. Ad primum caput pertinent, v.g., controversiae quae versantur circa responsabilitatem Administrationis propter damna illata ab eius vehiculis; ad alterum, controversiae circa privatam proprietatem.

Haec igitur sunt criteria iuxta quae fit partitio competentiae Tribunalium in Gallia. Ut quilibet videre potest, nulla mentio de distinctione “iura-interessia”, nulla de “petito et causa petendi”.

In Germania Foederali

83 [85] Die 21 ianuarii 1960 creavit Germania Foederalis novam organizationem Iustitiae administrativae, quae perfecit et ad unitatem conduxit systema duplicis iurisdictionis, quod iam vigeat in pluribus vinciis (Länder), sed secundum leges earum proprias. Atque haec est ratio cur, inter alias Nationes, Germaniam ad nostrum assertum demonstrandum selegerimus.

84 [86] In novae legis art. 40 agitur de distributione competentiae inter Tribunalia administrativa et Tribunalia ordinaria, cuius complementum est art. 41, intentus ad competentiae conflictus vitandos. Repartitio competentiae inter ipsa Tribunalia administrativa diversi gradus seu instantiae fit in artt. 45, 47-48, 50, 52-53.

85 [87] Iuvat textum articuli 40, competentiam distribuentis, afferre:

1. Der Verwaltungsrechtsweg ist in allen Öffentlichrechtlicher Streitigkeiten nichtverfassungsrechtlicher Art gegeben, soweit die Streigkeiten nicht durch Bundesgesetz einem anderen Gericht ausdrücklich zugewiesen sind. Öffentlichrechtliche Streitigkeiten auf dem Gebiete des Landesrechts können einem anderen Gericht auch durch Landesgesetz zugewiesen werden. 2. Für vermögensrechtliche Ansprüche aus Aufopferung für das gemeine Wohl und aus öffentlichrechtlicher Verwahrung sowie für Schadenersatzansprüche aus der Verletzung öffentlichrechtlicher Pflichten ist der ordentliche Rechtsweg gegeben. Die besonderen Vorschriften des Beantenrechts bleiben unberührt. (Ule, p. 85).	1. Eunda est via iustitiae administrativae in omnibus litibus iuris publici iuri constitutionali non obnoxiiis, quatenus hae lites alii tribunali vi legis Foederationis expressis verbis non sunt adiudicatae. Lites iuris publici ius regionale respicientes ad aliud tribunal etiam vi legis regionalis attribui possunt. 2. Pro petitionibus iuris patrimonialis fundatis in sacrificiis ratione boni publici susceptis et in iuris publici officio necnon pro petitionibus sanandi damnum violatione officiorum iuris publici illatum eunda est via iustitiae ordinariae. Praecepta peculiaria iuris Officialium /hac dispositione/non tanguntur.
---	--

86 [88] Ut legenti patet, distinctio “iura-interessia”, tamquam criterium ad distribuendam competentiam, prorsus ignoratur. Criteria enim sunt haec tria, ut syntetice animadvertit Forsthoff: 1. Notio litis civilis. 2. Notio litis iurispublici, iuri constitutionali non obnoxiae. 3. Exceptiones expressis verbis constitutae (p. 111, all. 1). Idem auctor asserit quod, vigore horum criteriorum, leges antiquae circa competentiam ita unificatae ac simplificateae fuerunt, ut iam opus non sit illis in posterum studere! (p. 115, all. 3)

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

2° *Animadversio. Criterium fundamentale seu “distinctio” non videtur in se bonum (cf. supra, nn. 62-63)*

87 [89] *Ratio prima* huius animadversionis est quod simile criterium subtrahit absque ratione Tribunalibus administrativis omnes controversias circa iura subiectiva ab Administratione laesa, ciut (sic) constat:

a) ex eius origine: distinctio enim “iura-interessia” creata fuit praeter omnem intentionem a lege abolente a. 1865 Tribunalia administrativa, quae -ut par erat- noluit ut etiam interessia ab Administratione laesa Tribunalibus iudicialis submitterentur (cf. supra, nn. 65-69).

b) ex theoria “iuris degradati”, inventa ad restituendum Tribunalibus administrativis quaedam litigia circa iura subiectiva, quae inmerito a Tribunalibus iudicialibus cognoscebantur (cf. supra, nn. 72-74).

c) ex natura genuina systematis duplicis iurisdictionis, quod viget, v.g., in Germania et praesertim in Gallia, ubi Tribunalia administrativa obtinent normalem competentiam (sc., non exceptionalem) circa plures controversias de iuribus subiectivis (cf. nn. 79-86).

88 [90] Accedunt rationes criticae supra relatae ex Orlando et Giannini (cf. n. 76), quibus et haec addi potest: “distinctio” facile incidit in quoddam positivum, evertens genuinum conceptum iuris subiectivi; non enim amplius a pluribus consideratur ut facultas, sed solum ut bonum aliquod, quod tunc tantum obtinent iuris subiectivi naturam, quando lex ei concedit actionem coram Tribunali iudicali experimendam (cf. expositionem huius theoriae apud Zanobini, qui tamen videtur eidem non adhaerere, vol. I, pp. 182-190).

4° Conclusio Primae Partis: Criterium “fundamentale” induci debet in
Ius Canonicum

89 [91] *Votum B* asserit quod praefata distinctio introducenda esset in Ius Canonicum: “dovrebbe essere adottata anche da noi e posta anche da noi in base alla nostra giustizia amministrativa” (p. 7). Quin etiam, rationes statim adducendae “portano a ritenere inevitabile anche per noi la succennata distinzione, che è poi comune a tutti gli ordinamenti ... (p. 9 initio).

90 [92] In *Voto B* produntur, ut diximus (n. 35), diversae rationes - quattuor nempe - ad probandam hanc thesim. Primo has rationes fideliter proponemus, licet paulo mutato ordine, claritatis et brevitatis causa; atque singulis nostrum responsum dabimus (nn. 91-119). Deinde modo complexivo et positivo totam conclusionem huius primae Partis *Voti B* impugnabimus (nn. 120 – 131).

A. Rationes “Voti B” et nostra responsa

91 [93] 1° *Ratio* paulo antea indicata est, sc., distinctio de qua agimus “è ... comune a tutti gli ordinamenti” (p. 9, initio; cf. paulo supra, n. 89).

92 [94] Huic argumento iam supra responsum datum est, cum ostendimus praefatam distinctionem esse typicam et exclusivam systematis administrativi italici (nn. 64 – 86).

93 [95] 2° *Ratio*. Videtur opportunum, propter unitatem materiae, coniungere heic sub unica ratione, quae *Votum B* arguendo asserit tum in pag. 7, tum in pag. 9, inverso tamen ordine, ut chronologice procedamus. Summa totius argumentationis haec est:

94 [96] a. Alludens *Votum B* ad introductionem “distinctionis” in Ius Canonicum, observat: “Non si tratta dopo di tutto di una novità. Circa la necessità di questa distinzione il problema è stato già impostato dalla stessa ‘Sapienti Consilio’”. Et statim allegatur huius constitutionis textus in quo S. Pius X iubet per Congregationes Romanas “non amplius recipi nec agnoscere causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudicium cum processu et probationibus requirentes soggiungendo” che “causae omnes contentiosae non maiores, quae in Curia Romana aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae Tribunal” (Tribunalia, II, 2°), con l’ordine che prima di ammettere i libelli si veda “de quaestionis natura, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum” (*Normae Peculiares*, I, 3°). Di qui sorse fino d’allora la necessità di un criterio di distinzione tra cause contenziose e cause amministrative.

95 [97] b. “Fino dal 1910, P. Ogetti, nel suo ‘De Curia Romana’ pose come criterio base la distinzione tra diritti soggettivi e interessi legittimi secondo

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

la dottrina civilistica del tempo. Prevalse, come sappiamo, la opinione del P. Cappello che tra giurisdizione e amministrazione non ammette che una distinzione meramente formale, alla quale dottrina venne uniformandosi la prassi della Curia. Ma il problema rimase e fu costantemente sentito da autorevoli canonisti, tra i quali l'Em.mo Roberti, per il quale è inesatto affermare che ogni qualvolta si tratti di atto amministrativo sia sempre da seguirsi necessariamente la via amministrativa ... (*De processibus*, 1956, pp. 114-115)". (Ib.).

96 [98] c. Paulo antea *Votum B* iam locutum fuerat de his "autorevoli canonisti", qui, incidentes per eadem viam ac P. Ojetti, censebant in Iure nostro agendum esse distinctionem "iura-interessia" "Essa/sc., distinctio/ è stata chiaramente invocata da quella corrente della dottrina che ha aperto la via alla istituzione della Sectio altera presso questo nostro Supremo Tribunale"; in cuius asserti probationem - pergit *Votum B* - sat erit consulere acta Congressuum Internationalium Iuris Canonici qui celebrati sunt in Urbe 1950 et 1954, quique habuerunt ut obiectum – respective exclusivum et parziale – iura subiectiva eorumque tutelam.

Animadversiones

97 [99] 1° *Quoad constitutionem* 'Sapienti Consilio'. Notum est quod, post amissos Status Pontificios, Signatura Apostolica et S. R. Rota siluerunt, ac consequenter competentia iudicialis devoluta est ad aliquas Sacras Congregationes Romanas, quae proinde potestatem iudicalem cum administrativa cumularunt, non sine gravibus sequelis.

98 [100] Ideo primum criterium, quod sibi praestituit S. Pius X in reformatione Curiae Romanae, prout ex eius "Progetto" autographo constat, fuit potestatem administrativam a iudiciali discernere:" ... è necessario riportare, le Congregazioni, alla loro primitiva natura di collegi amministrativi... Converrà perciò richiamare in vita il Tribunale della S. Rota Romana, e a questo rimettere per commissione tutte le cause" (*Apollinaris*, 1952, pag. 41); atque hoc propositum executus est in const. "Sapienti Consilio", II, 2 (*AAS*, 1909, pag. 15), cuius verba afferuntur in *Voto B* ac supra ea retulimus (n. 94).

99 [101] In *Normis* autem editis ad Constitutionis complementum irrepserunt duo loci seu textus inter se apparenter autem contrarii, sc., alius

(citatus in *Voto B*, et relatus supra, n. 94) qui diceret electionem viae sive iudicialis sive administrativa pendere a natura quaestionis decidendae (*Normae Peculiares*, cap. I, n. 3°, in: *AAS* 1909, p. 61), alius autem qui remittit prudenti Congregationum iudicio quaestiones ad se delatas vel tractare “disciplinae tramite” vel deferre ad iudices ordinarios, sive initio sive in quovis stadio, ut apud illos “actio stricto iudicialis instituat (l.c., cap. III, n. 10°, in: *AAS*, 1909, p. 65). Hi duo textus originem dederunt duabus contrariis interpretationibus facti fundamentalis separationis potestatum, intenti a S. Pio X, de quibus statim agemus.

100 [102] In creatione et ulteriore evolutione alterutrius ex his interpretationibus multum influxum habuit alius textus, de quo etiam silet *Votum B*, sc., can. 16 “Legis propriae Sacra Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae”, qui sic sonat: “Contra dispositiones Ordinarium, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur” (*AAS*, 1909, p. 24). Hoc praescriptum, ut notum est, transiit fere ad verbum in can. 1601 vigentis Codicis Iuris Canonici.

101 [103] 2° *Quoad opiniones a PP. Ojetti et Cappello expositas*. B. Ojetti, anno 1910, praesupponens theoriam systematis contentiosi-administrativi vigentis in Italia (*De Romana Curia*, pp. 18-23, praesertim p. 22, all. 1), et nixus in textu supra citato - n. 94 - ex ipsa const. “Sapienti Consilio” (p. 12, et nt. 1), conclusit introductam fuisse in Ius Canonicum distinctionem “iura-interessia”, ideoque a provisione administrativa seu decreto Episcopi, quod aliquod ius laesit, dari actionem experimendam coram Archiepiscopo vel coram S.R.Rota, non autem coram Romanis Congregationibus (pp. 23-24).

102 [104] Huic interpretationi fortiter contradixit F.M. Cappello, ut animadvertit *Votum B*. In tractando argumento praemittit Cappello quasdam declarationes ex theoria generali iuris mutuatas, ubi, sub influxu et ipse legislationis italianae, commemorat “distinctionem” tanquam “criterium... clarum et precisum” ad discendendam in genere potestatem iudicalem a potestate administrativa (*De Curia Romana*, vol. I, p. 49, 1). Attamen veniens deinde ad definendam competentiam S.S. Congregationum et S. R. Rotae, oblitus “distinctionis” et fortiter nixus in const. “Sapienti Consilio”, in “Normis Peculiaribus”, cap. III, n. 10°, ac in can. 16 “Legis Propriae...”,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

luculenter hoc assertum demonstrat: Ad S.R.Rotam pertinet cognoscere quaestiones contentiosas circa ius subiectivum et quidem “iudiciario ordine servato”, seu “summo iure tractando”. Ad Congregationes autem spectant quaestiones non-contentiosae circa ius subiectivum et quaestiones circa interestia, dummodo “modo disciplinari” eas tractent (pp. 50-52).

103 [105] Certum est - ut observat *Votum B* - hanc interpretationem praevaluisse illi a B. Ojetti propositae, quod tamen, ni fallimur, explicatur potius quam propter auctoritatem qua pollet Cappello (qui de cetero super hoc argumento vix citatur), propter auctoritatem can. 16 “Legis propriae”, qui diffusionem maximam inter canonistas obtinuit postquam assumptum fuit in can. 1601 Codicis Iuris Canonici vigentis, necnon propter responsum Card. Gasparri circa hunc canonem, die 22 maii 1923 datum (*AAS*, 1924, p. 251). Quae cum ita sint, videtur dicendum quod const. “Sapienti Consilio”, iuxta interpretationem magis fundatam et diffusam, distinctioni “iura-interestia” non favere.

104 [106] 3° *Quoad opinionem Card. Roberti*. Hac in re valde attendendum est ad sensum textus quem citat *Votum B* et ad alios duos, quos omittit. Omittuntur enim duos textus in quibus Card. Roberti respective refert “distinctionem” tanquam criterium Civitatum proprium (*De processibus*, I, n. 67, I, 3, pag. 159), et certa quaedam principalia a distinctione diversa, tanquam criterium complexum Iuris Canonici proprium (o.c., n. 51, III, pag. 114-116).

Precise in initio huius numeriet (sic) paragraphi inveniuntur verba allegata in *Voto B*; sed sensus horum verborum atque totius loci declaratur sic versus finem: “Ex his omnibus patet non absolute prohiberi iure canonico quominus actus administrativi potestati iurisdictionali subiciantur; sed tantum hoc fieri non posse sine consensu potestatis administrativae (cf. c. 247, § 3; 249, § 3; 250, § 5°; 251, § 2; 257, § 3), quia potestas iurisdictionalis in Ecclesia non habet finem potestatem administrativam coërcendi” (p. 115, ad finem). Iam vero, illam consensus, saltem ubi agitur de potestate administrativa Episcopali, nihil est nisi Commissio Pontificia” (cf. nt. 6, ad calcem eiusdem p. 115). Atque hanc doctrinam Roberti paulo deinde confirmat (n. 67, II, I, pp. 160- 161).

Adv. Lazzarato serius probabiliter hanc doctrinam agnovit, et ideo in ultimis instantiis sollicitus fuit de illa “Commissione Pontificia” obtinenda (cf. supra, n. 23). Sed, instituta iam Sectione altera Signaturae Apostolicae, videtur per se iam non esse locum Commissioni petendae, quia talis

Commissio controversiae administrativae ad S.R.Rotam non esset sine praeiudicio Signaturae Apostolicae, ad quam ipso iure praefata controversia pertinet, postquam via hierarchica exhausta fuerit. Aliae, rationes ob quas petitio praedictae Commissionis Pontificiae non est possibilis in casu, supra expositae sunt (nn. 30-31).

105 [107] 4° *Quoad acta Congressum, qui celebrati sunt aa. 1950, 1953, [1954]*. In his Congressibus problema distributionis competentiae sub novo quodam aspectu attingitur, sc., quatenus Administratio nimium incrementum obtinuerat, ita ut practice, praeter causas matrimoniales de nullitate, reliquas omnes controversias cognosceret (cf., v.g., L. DE ECHEVARRIA, in: *Acta Congressus 1950*, pp. 64-65), et praesertim quatenus eadem Administratio iura subiectiva, ab ipsis administratoribus laesa, insufficienter tueri videbatur (cf., v.g., W. ONCLIN, *ibidem*, p. 226, all. 2).

106 [108] Ut haec igitur iura debitam tuitionem obtinerent, in Congressu anni 1950, fortasse sub influxu doctrinae expositae a C. Bernardini inde a Congressu anni 1934 (cf. citationes articulorum eius in *Periodica*, 1968, p. 629, nt. 14, a), finite propositum fuit, tanquam solutio *de iure condendo*, ut controversiae circa iura subiectiva ab Administratione laesa ad Tribunalia iudicialia deferrentur, ita, v.g., Ch. Lefebvre (*ib.*, p. 169), cui adhaesit L. de Echevarría (*ib.*, pp. 72-73).

107 [109] At in Congressu anni 1954 nova solutio etiam *de iure condendo* proposita est, sub evidenti influxu doctrinae quam K. Mörsdorf in sua nota opera “Rechtsprechung und Verwaltung im kanonischen Recht” (Freiburg in B, 1941) ac deinde in ipso Congressu proposuit (*Acta Congressus 1954*, p. 417, b), sc., ut quaendam forma Iustitiae seu Tribunalis administrativi institueretur. Ita, inter alios, optavit S. Goyeneche (*ib.*, pp. 419-434; vide eius votum in pp. 433-434) et, mutato consilio, etiam Ch. Lefebvre (*ib.*, pp. 435-446).

108 [110] Iam vero, ut redeamus ad *Votum B*, Sectio altera Signaturae Apostolicae, prout alibi demonstravimus (*Periodica*, 1968, pp. 630-633, nn. 34-35; 1970, pp. 105-109, nn. 75-84), est verum Tribunal administrativum; consequenter hoc remedium a S. Sede assumptum pro iurium subiectivorum tuitione connectitur, non cum solutione Congressus anni 1950, nixa in

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

distinctione “iura-interessia” (ut asseritur in *Voto B*), sed cum solutione Congressus 1954, quae illam distinctionem ignoravit.

109 [111] 3° *Ratio*. “Questa distinzione è pure implicita nelle istanze dei Padri al Vaticano II e in modo particolare in quelle dei Vescovi nel Sinodo. Queste istanze sono state raccolte e accolte nei ‘Principia’ ossia negli indirizzi, approvati dal Sinodo, da seguirsi dalla P. Commissione per la revisione del Codice”.

Animadversiones.

110 [112] 1° *Quoad Concilium Vaticanum II*. Nos non cognoscimus acta secreta Concilii Vaticani II, sed satis pervolvimus acta publice edita et etiam Documenta conciliaria. In his quidem fortiter commendatur quod iustitia servetur (cf. *Periodica*, 1968, p. 602, n. 1), attamen nullum textum invenimus ubi saltem implicate indicetur quod fidelium iura debent defendi a Tribunalibus iudicialibus et interessia a Tribunalibus administrativis.

111 [113] 2° *Quoad Synodum I Episcoporum*. Quamvis *Votum B* non determinet de quonam Episcoporum synodo agatur, sine dubio questio est de prima, quia haec sola nostrum argumentum tractavit. Diligenter collegimus omnes interventus orales Patrum - nam scripta Synodo oblata sub secreto adhuc servatur -, agentes de re processuali sive iudiciali sive administrativa, et, quamvis plures egerunt de iure processuali per respectum ad causas matrimoniales (cf. *Periodica*, 1969, 565-569), tamen solum quinque dixerunt de iuribus subiectivis ac de eorum tutela. En horum quinque Patrum asserta: Card. Quintero valde optat in genere ut iura subiectiva protegantur (G. CAPRILE, *II Sinodo*, p. 96 n. 4); Card. Th. Cooray et Mons. Martin (e Rwanda) alludunt ad difficultates, quas maior haec tutela creare posset (ib., p. 97, n. 7; p. 112, n. 16); Card. Döpfner, et fortasse etiam idem Mons. Martin, desiderant ut Tribunalia iudicialia nunc existentia defendant iura subiectiva, ut alia ex novo creari non debeant (ib., p. 106, n. 3); tandem mons. F.W. Ligondè expresse postulat ut Tribunalia administrativa instituantur (ib., p. 105, n. 18). Verumtamen in suffragatione 148 Patres, e 187 Patribus adstantibus, optarunt ut iura subiectiva defenderentur per Tribunalia administrativa a “Commissione Codici recognoscendo” proposita; nunc vero, “Commissio”, ut ex animadversione sequenti patebit, distinctionem “iura-interessia” excludit.

112 [114] *Quoad “Principia” elaborata a “Commissione” et approbata a Synodo.* “Principia” propugnant constitutionem Tribunalium administrativorum, verumtamen non ad defendenda solum interessia fidelium ab Administratione laesa, sed etiam, immo praesertim ipsa iura subiectiva, de quorum tuitione precise erat quaestio. En eorum tenor: “... necessitas ubique persentitur ordinandi in Ecclesia Tribunalia administrativa secundum gradus et species, ita ut defensio iurium in eisdem habeat proceduram quae apud auctoritates diversi gradus apte evolvatur” (n. 7. all. 3).

113 [115] Ergo si instantiae Concilii Vaticani II et praesertim Synodi primae Episcoporum collectae sunt in Principiis, haec autem volunt ut controversiae circa iura subiectiva et Administrationem cognoscantur a Tribunalibus administrativis, sequitur quod Concilium, Synodus et Principia (secus ac propugnat *Votum B*) excludunt distinctionem “iura-interessia”, iuxta quam competentia Tribunalium Administrativorum circa *interessia* exclusive versaretur.

114 [116] 4° *Ratio* diffuse exponitur per totam paginam 8. Summa argumentationis haec est: Omnia desideria expressa a Patribus Vaticani II et Synodi I circa tuitionem iurium subiectivorum frustrarentur nisi, introducta “distinctione” in Ius Canonicum, Tribunalia iudicialia cognoscant de iuribus ab administratione laesis. Nam hac in re ne quidem *iurisdictio* administrativa, cuius specimen creatum est nunc in Sectione altera Signaturae Apostolicae, sufficientem tutelam pro iuribus subiectivis offert, sed solum pro interessibus. En ipsa verba *Voti B*: “L’istituzione del contenzioso amministrativo ha conferito la garanzia giurisdizionale al ricorso a questo Supremo Tribunale e ciò può ritenersi sufficiente per la categoria degli interessi legittimi nell’ambito dell’illecito amministrativo. Ma quando l’atto amministrativo lede, sia pure di riflesso, un vero diritto soggettivo a contenuto privatistico la garanzia offerta dalla Sectio Altera non può dirsi sufficiente”.

Animadversiones

115 [117] 1° Generale assertum quod fit initio quartae rationis, iam responsum est in animadversionis ad rationem praecedentem (nn. 110-113). Nunc venimus ad examen rationis qua illud assertum nunc probari seu

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

demonstrari intenditur. Contra opinionem *Voti B* nobis videtur “contentiosum administrativum” creatum in Sectione altera Signaturae esse verum Tribunal (cf. *Periodica*, 1970, p. 107, nn. 79-82) etsi ordinis administrativi et cum competentia adhuc restricta, quae tamen, ut speratur, ampliabitur (ib., p. 103, n. 69). Ideo censemus esse organum efficax ad tuenda etiam iura subiectiva ab Administratione laesa.

116 [118] 2° Videtur *Votum B* non satis percepisse naturam et vim contentiosi-administrativi creati apud Signaturam. Ad hoc assertum faciendum nitimur etiam in communicatione, quam ipse auctor *Voti B* praesentavit “Conventui Internationali Iuris Canonici” Romae in anno 1968 celebrato. In hac enim communicatione postquam describitur contentiosum-administrativum inductum a Paulo VI in Signaturam, adiungitur: “Praeter hoc iustitiae administrativae systema, quod Suprema Ecclesiae Auctoritas per praefatam Constitutionem maluit introducere, aliud exstat systema, apud nonnullos ex hodiernis Statibus vigens quod praevidet ut iustitiae administrativae consulatur per tribunalia administrativa ad hoc erecta et ab ordinariis tribunalibus distincta, hierarchice inter se per varios iurisdictionis gradus subordinata ac propria speciali procedura donata” (*Acta Conventus* 1968, p. 351).

117 [119] Ut alibi ostendimus (*Periodica*, 1970, pp. 105-109, nn. 75-84), Systema contentiosi - administrativi creatum a Paulo VI in Signatura non est diversum a Systemate duplicis iurisdictionis, seu a Systemate pollente ex una parte Tribunalibus iudicialibus (pro tuendis interessibus iuribus subiectivis laesis, sed non ab Administratione) et ex alia Tribunalibus administrativis (pro tuendis interessibus et etiam iuribus subiectivis ab Administratione laesis), sed est ipsum Systema duplicis iurisdictionis. Vi enim novi instituti creati in Signatura ordinatio canonica Ecclesiae constat duplici iurisdictione contentiosa seu iudicativa, alia iudiciali apud Tribunalia ordinaria per totum orbem distribuita, alia administrativa apud Sectionem alteram Signaturae Apostolicae; vel quod idem est, Administratio ecclesiastica, praeter ramos administrationis activae, seu gubernativae, seu hierarchicae, novum ramum acquisivit, sc., administrationem contentiosam.

119 [120] Verum est, ut alias indicavimus, quod hoc Systema contentiosi administrativi inductum nunc in Ecclesia invenitur in forma ad huc restricta sive quoad competentiam (*Periodica*, 1970, pp. 103, 104-105; nn. 69, 72-73), sive quoad gradus seu instantias (ib., p. 108, n. 83); sed hae

restrictiones minime destruunt naturam systematis, quod de cetero, iuxta petita a Synodo Prima Episcoporum et iuxta principia assumpta a “Commissione Codici recognoscendo”, ad suam perfectionem adducetur per competentiae augmentum et instantiarum multiplicationem.

B. Conclusio primae Partis Voti B complexive et positive impugnatur (cf. supra, nn. 89-90)

120 [121] *Argumentum primum* desumitur tum ex natura et reverentia debita erga potestatem administrativam Episcoporum, tum ex natura processus iudicialis.

121[122] Ad indolem Iuris Canonici pertinet quod in magna reverentia habeatur auctoritas Superiorum Ecclesiae, sc., Romani Pontificis et Episcoporum, non solum qua hoc est in quavis societate necessarium, verum etiam quia in Ecclesia Primatus et Episcopatus sunt iure divino instituti.

122 [123] Ideo, quamvis verum sit quod Ecclesia semper fuit sollicita de delictis etiam Praesulum eorumque maxime compescendis, necnon de vitando quominus ecclesiastica Administratio iura fidelium laederet, tamen diligenter etiam curavit, propter supra indicatum reverentiae officium, ut ecclesiastici Administratores seu Episcopi Tribunalibus communibus non subicerentur.

123 [124] Officio reverentiae accedit etiam indoles publica processus iudicialis, quae adversatur legi de secreto, qua Episcopi ut Administratores saepissime tenentur, prout exponitur in una c. Parrillo, die 30 aprilis 1923: “nulla lege obstringuntur Episcopi, quinimmo prohibentur, secreta officii pandere, extraiudiciales onformatores (sic) prodere, documenta sua natura occulta in iudicio exhibere (can. 1823, § 1; 2309, § 5), eo magis cum haec omnia ansam actori praeberere deberent ad delictum in his introspectendum, Episcopo imputabile, quod nemo in iudicio fateri, eoque minus ostendere tenetur (can. 1743, § 1). Huius indolis questiones, igitur, quae Episcopi officium, ceu (sic) disciplinae moderatoris, habent necessario coniunctum, non summo iure, sed administrativo vel disciplinari tramite agenda sunt” (AAS, 1923, p. 300).

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

124 [125] His principii omnino adhaesit praxis ac traditio canonica, praesertim inde a saec. XVI usque ad Codicem I.C. In Codice enim – ut reliqua omittam (cf. *Periodica*, 1968, pp. 627 et 630 cum nt. 14, b) – ex una parte causae Episcoporum (saltem Residentialium) sive circa eorum delicta sive in contentiosis ipsi Papae eiusve Tribunalibus respective reservantur (cf. can. 1557, § 1, 3^o; § 2, 1^o); ex alia, autem, controversiae circa iura subiectiva, quae praetenduntur ab actibus administrativis Episcoporum laesa, Administrationi activae seu Congregationibus Romanis; quippe quae Vicariae Romani Pontificis, similiter reservantur (can. 1601).

125 [126] Huic traditioni necnon principio, cui ipsa oboedit, contradiceret introductio in Ius Canonicum distinctionis “iura-interessia”, quae controversias circa iura subiectiva ab administratione Episcoporum laesa subtraheret a Tribunalibus administrativis, ut Tribunalibus iudicialibus eas concederet.

126 [127] Quare censemus conclusionem, qua clauditur Pars I *Voti B* admitti non posse.

127 [128] Iuvat claudere huius argumenti expositionem alludendo ad unanimitem qua octo tribunalia diocesana in Gallia, Turnus rotalis c. Ferraro et Decanus S.R.Rotae libellos causarum N. et aliarum necnon Q reiecerunt, quia circa actus administrativos Episcoporum versantur. Haec unanimis ratio agendi nostrum argumentum fortiter confirmare videtur, ab eoque vicissim magnum roborem accipere.

128 [129] *Argumentum alterum* trahitur ex natura universali qua pollet Ius Canonicum.

129 [130] Quoniam Ius Canonicum habet indolem universalem seu respicit totam Ecclesiam, aliqui Doctores, ut Kuttner (Discorso commemorativo del 50° anniversario del Codex), merito desiderant ut, licet pergat retinere in multis structuram Iuris Romani, aperiatur ad accipiendum quidquid Ecclesiae utile videatur ex aliis systematibus iuridicis.

130 [131] Quamobrem, si Ius contentiosum canonicum, quoad partem administrativam configuraretur secundum distinctionem “iura-interessia”, quae est iuris italici exclusiva, verendum ne dicatur cum veritate de hoc novo ramo iuris Ecclesiae, quod cum magna falsitate dictum est recenter de iure

processuali Libri IV Codicis: “The procedural principles of the Italian Civil Code formed the basis of the treatise on processes of the 1917 Code of Canon Law” (“The Bond of Marriage”, edited with Notes and Introduction by William W. Basset, Notre Dame, U.S.A., 1968, p. 178).

131 [132] Ergo etiam propter hanc rationem conclusio Partis I *Voti B* admitti nequit.

DE PARTE ALTERA

132 [133] Ut supra dictum est (n. 36), in hac Parte altera, sub luce doctrinae expositae in Parte prima concluditur ad solutionem positivam quaestionis propositae circa admissionem, vel minus, recursus facti contra Decanum S.R. Rotae.

133 [134] *Votum B* rem solvit positive propter has duas rationes: 1° *Ratio* “Communicatio” Consilii Permanentis Episcopatus V non est aliquis actus administrativus in sensu stricto, sed solum in sensu lato, iuxta superius dicta circa categorias actuum administrativorum (nn. 45-47). Consequenter non est impugnabilis coram Administratione, sed solum coram Tribunali iudiciali, prout supra (n. 35) expositum quoque est.

134 [135] Verumtamen – pergit *Votum B* dato et non concesso quod ageretur de actu administrativo in sensu stricto, adhuc solutio positiva tenet propter alteram rationem.

135 [136] 2° *Ratio*. Quia, iuxta superius dicta de “petito et causa petendi” (n. 59), quotiescumque ob causam iuris subiectivi laesi petitur declaratio laesionis et reparatio damnorum, controversia pertinet ad Tribunal iudiciale. Atqui in casu utrumque datur: nam causa petendi sunt iura subiectiva actorum, laesa a declarationibus falsis et damnosis RR. Dominorum W et Z, petitum autem est declaratio falsorum et reparatio laesionis. Ergo controversia a Tribunali iudiciali cognoscenda est.

Animadversio

136 [137] Verumtamen, iuxta animadversiones superius factas, neutra ratio cogit: non prima, quia “Communicatio”, prout docet schola Professoris

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Zanobini, est actus administrativus in sensu stricto, idque confirmatur ex can. 2307 (nn. 49-53); ac praeterea, quia, etiamsi teneatur opinio *Voti B*, existimans “Communicationem” esse actum administrativum in sensu lato, adhuc iuxta leges vigentes. v.g., in Gallia, quae est patria systematis contentiosi-administrativi “duplicis iurisdictionis” controversia in casu ad Tribunal administrativum spectat (cf. supra, n. 57).

137 [138] *Non secunda*, quia criteria illa duo, quorum vigore dispertitur competentia inter Tribunalia in Italia, sc., distinctio “iura-interessia” et principium “petiti et causae petendi”, ignorantur in aliis Nationibus, in quibus nihilominus viget systema contentiosum administrativum “Duplicis iurisdictionis” (nn. 77-86).

Sectio II. Votum nostrum: recursus contra Decanum S. R. Rotae reiciendus est.

138 [139] 1. In praecedentibus, ni fallimur, demonstratum est solutionem propositam in *Voto B*, sc., admissionem recursus delati ad Signaturam Apostolicam contra Exc.mum D. Decanum S.R. Rotae ob reiectionem libelli causae Q non consistere propter plures rationes, quarum summa haec est:

139 [140] 1° Sic dicta “principia doctrinae et iurisprudentiae Civitatum”, sub quorum luce ventum est ad admittendum recursum, non consistunt aut, si consistunt, non cogunt, quia exclusiva sunt italici iuris ac doctrinae (nn. 38-39).

140 [141] 2° Quia, etiamsi praefata principia valerent in Nationibus ubi viget Systema duplicis iurisdictionis, adhuc non esset assumenda in Iure Canonico, quia minus congruunt cum natura potestatis administrativae Episcoporum et cum indole universali iuris Ecclesiae (nn. 120 – 131).

141 [142] 2. Exclusa igitur solutione positiva seu admittente recursum, sequitur quod, propter contrarias rationes, admittenda est solutio negativa seu recursum reiciens, quam iam propugnabimus in nostro primo Voto.

142 [143] 3. Tandem si haec solutio recursum reiciens assumatur, bonum erit simul cum Illa Patrono haec duo – via officiali vel officiosa – communicare: 1° Causam Q. fumum boni iuris habere, sed, cum sit agenda via amministrativa, ad competentem S. Congregationem deferri debere. 2°

IURISPRUDENTIA: PROT.N. 270/70 CG

Quodsi Congregationis decisio esset negativa ac in ea recurrent extrema contemplata in const. *Regimini*, n.106, recursum ad Hoc Supremum Tribunal tunc patere.

Romae, in Pontificia Universitate Gregoriana,
24 octobris 1970.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

A p p e n d i x

Documenta et bibliographia citata

I. *Documenta*

- 143 [144] Series Documentorum, quae citantur, comprehendit exclusive acta et vota praesentis causae, et constat 16 fasciculis, qui sic distribuntur:

Doc. 1-4: Acta apud S. R. Rotam.

Doc. 5-12: Acta apud Signaturam Apostolicam.

Doc.13-16: Vota Promotoris Iustitiae et Referendariorum.

II. *Bibliographia citata*

- 144 [145] Acta Congressus internationalis Iuris Canonici (1950), Romae 1953.

Citatur sequentes dissertationes:

DE ECHEVARRÍA, L., *La defensa procesal de derecho en el ordenamiento canónico*, 62-73.

LEFEBRE, Ch., *Le controle juridictionnel des actes administratifs en droit canonique*, 153 – 169.

ONCLIN, W., *Considerationes de iurium subiectivorum in Ecclesia fundamento et natura*, 210 – 226.

Acta Congressus 1953 [1954], quorum titulus: *Questioni attuali di Diritto Canonico*, in: *Analecta Gregoriana*, vol. LXIX, Romae 1955. Citantur sequentes dissertationes:

MÖRSDORF, K., *De relatione inter potestatem administrativam et iudicalem in iure Canonico*, 599-418.

GOYENECHE, S., *De distinctione inter res iudiciales et administrativas in iure canonico*, pp. 419-434.

LEFEBVRE, CH., *De exercito potestatis iudicialis per organa administrativa* (“Verwaltungsgerichtsbarkeit”), 435-447.

Acta Conventus Internationalis Canonistarum Romae diebus 20 -25 mai 1968 celebrati, Typ. Polygl. Vatic. 1970. Citatus haec dissertatio.

VARALTA, Z., *De principio subsidiariorum relate ad ordinatam administrationem iustitiae in Ecclesia*, 334- 335.

CAPPELLO, F.M., *De Curia Romana iuxta reformationem a Pio X sapientissime inductam*, vol. I, *De Curia Romana “sede plena”*, Romae 1911.

CAPRILE, G., *Il Sinodo dei Vescovi, Prima assemblea generale (29 settembre – 29 ottobre 1967)*, Roma 1968.

FERRETTO, G., *La riforma del B. Pio X*, in: *Apollinaris* 25 (1952) 35-84.

FORSTHOFF, E., *Lehrbuch des Verwaltungsrechts*, Erster Band: *Allgemeiner Teil*, München und Berlin, 1966.

GIANNINI, M.S., *La Giustizia amministrativa*, Roma 1963.

GORDON, I., *De Tribunalibus administrativis propositis a Commissione C.I.C. recognoscendo et suffragantis ab Episcoporum Synodo*, in: *Periodica* 57 (1968) 602 –652.

———, *Normae speciales Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae*, in: *Periodica* 59 (1970) 75-165.

DE LAUBARDERE, A., *Traité élémentaire de Droit Administratif*, 3 vol., 4^o ed, Paris 1967-1968.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

OJETTI, B., *De Romana Curia, commentarium in Constitutionem Apostolicam* "Sapienti Consilio", Romae 1910.

ROBERTI, F., *De processibus*, vol. I, ed. 4°, in Civitate Vaticana, 1956.

SANDULLI, A.M., *Codice della Legislazione amministrativa*, 2 vol., 2° ed., Roma 1965.

ULE, C.H., *Verwaltungsgerichtsbarkeit*, in: *M. von Brauchitsch, Verwaltungsgesetze des Bundes und der Länder*, neu herausgegeben von C.H. Ule, Band I, zweiter Halbband, Köln 1962.

ZANOBINI, G., *Corso di Diritto amministrativo*, Milano, vol. I-IV, 195 vol. V-VI, 1956.